

Romae olim in basilicae Lateranensis abside, in opere musivo, periit a. 1294: accurate descripta legitur in codice saec. IX olim Laureshamensi nunc Palatino-Vaticano; alterum apographum reperitur in sylloge inscriptionum basilicae Lateranensis facta saec. XII vel XIII, quam adhibuit Panvinius et quae praeterea perscripta reperitur in codice aliquo Sessoriano (de Rossi inscr. chr. II 4 p. 449, 47; p. 507, 5). — 1) Victor Constantinus sylloge Lateranensis compendiis male solutis (Flavius Constantius Felix Victor edidit Panvinius). — 2) Felix patricius et magister militum memoratur ab Idatio sub a. 425, a Prospero sub a. 426, 427, 429. Consul ordinarius fuit a. 428. Interemit et ipsum et uxorem eius Padusiam a. 450 Aetius (Prosper, Idatius, Marcellinus ad a. 450). Ex his titulum positum esse inter a. 428/450 apparet. Cf. infra N. 1298.

1294 Fl. Ricimer v. i.¹, magister utriusque militiae, patricius et ex cons. ord.², pro voto suo adornavit.

Romae, in ecclesia S. Agathae, in opere musivo, saepius descripta saec. XVI, sub cuius finem periit (de Rossi inser. chr. II, 4 p. 438 n. 127 ad apographa Petri Sabini, Cittadinii, Winghii). — 1) Vir inlustris. — 2) Ricimer consul fuit a. 439. — Ricimer, natus patre Suebo, matre Gotha (Sidonius paneg. in Anthem. 361), sectae Arianae fuisse putandus est. Et fuit illis temporibus ecclesia S. Agathae urbana, quam ille adornavit, Arianorum, mansaque usque ad tempora Gregorii Magni papae, ut appareat ex huius dial. 5, 50 et ex libro pontificali.

1295 + | Felix v. i. | ex consule ord.¹, | servus vest.², pro | continuis beneſiciis vestris | optulit.

Prope Gabios rep. cippus est Romae in museo Lateranensi (XIV 2824 descr. de Rossi). — 1) A. 511. — 2) Servus vester, scilicet sanctorum.

1296 Memmius Sallustius | Salvinus Dianus v. s.¹ | basilicam sanc- torum | angelorum fecit, in | qua sepelliri non licet.

Prope Perusiam rep. (XI 2089 descr. Marinius altique). — 1) Vir spectabilis.

1297 + Opilio v. c. | et inl., p. p. adq. | patricius, hanc | basilicam vel oraſtorium in honore | scae Iustinae mar[tyris] a fundamentis | coeptam deo iu[n]tante perfe | + cit +.

Patavii in ecclesia S. Iustinae (V 5100 vidit Mommsen). — Opilio fuit magister officiorum Valentiniani III a. 449, 450 (Nov. Valent. 27, 29), consul ordinarius a. 455. Alius eiusdem nominis fuit consul ord. a. 524, idem sine dubio ad quem Ennodius dedit epistolas complures (1, 22, 5, 3), legatus missus a Theodahato ad Iustinianum (Procop. Goth. 1, 4).

1298 1.

Fl. Felicis v. c., com. ac mag. utrq. mil., patr. et cos. ord.¹

Diptychon eburneum, cum imagine consulis, olim in monasterio Comodolia-ensi in Gallia, nunc pars 1. extat Parisiis (Gori thesaur. diptychorum tab. 2, vol. 1 p. 429; Lenormant trésor de glypt. II tab. 42; Chabouillet catalogue des camées de la bibl. imp. p. 560 n. 5262). Diptycha huius generis, inscripta nomi- nibus et pleraque ornata imaginibus consulum ordinariorum saec. p. Chr. V et